

breuis arbor hæc atque fruticosa, in Damasco Syria magna. Materies ei admodum lenta, ac fidelis ad vetustatem eximij ac nigri splendoris, flos racemosus oliuæ modo, sed rubens, folia densa. Fert & folliculos emittentes quadam animalia, ceu culices, lentoremq; resinofum, qui & cortice erumpit. Etiam rhus Syria mascula fert, sterili femina, folia ulmi paulo longiore et piloso, foliorum inter se semper contrarijs pediculis, gracili breuiq; ramo. Pelles candidæ conficiuntur ijs. Semen lenti simile cum uua rubescit, quod uocatur rhus, medicamentis necessarium.

De ficu Aegyptia & Cypria. CAP. VII.

ET in Aegypto multa genera, quæ non alibi. Ante omnia ficus, ob id Aegyptia cognominata. Arbor moro similis folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso. Idque ipsum ficus est prædulcis, sine granis interioribus, perquam sæcundo prouentu, scalpendo tantum ferreis unguibus: aliter non maturefcit. Sed cum factum est quarto die demetitur, alio subnascente: septeno ita numerosa partu, per singulas æstates multo lacte abundante. Subnasctur etiam si non scalpatur fetus quater æstate, prioremque expellit immaturum. Materies proprii generis inter utilissimas. Cæsa statim stagnis mergitur. Hoc est eius siccari. Et primo sedit, postea fluitare incipit: certoque sugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat. Cum innatare cœperit, tempestiue habet signum. Huic similis quadamtenus quæ uocatur Cypria ficus in Creta. Nam & illa in caudice ipso fert pomum et ramis, cum in crassitudinem adoleuere. Sed hæc germina emittit sine ullis folijs radices similia. Caudex arboris similis populo, folium ulmo. Fructus quaternos fundit, toties & germinat. Sed grossius eius non maturefcit, nisi incisura emisso lacte. Suauitas & interiora fici magnitudo sorbi.

De Ceraunia siliqua. CAP. VIII.

Similis his siliqua, quæ Iones Cerauniã uocant: truncus et ipsa ferilis, sed pomum siliqua. Ob id quidam Aegyptiam ficum dixere, errore manifesto. Nõ enim in Aegypto nascitur, sed in Syria Ioniaq; et circa Gnidum, atque in Rhodo, semper comantibus folijs, flore candido, cum uehementia odoris: plantigeram imis partibus, & ideo superficie flauescens, succum auferente sobole. Pomum antecedentis anni circa canis ortus detracto, statim alterum parit: postea florem per arcturum hyeme fetus enutrientem.

De Persica Aegypti, & spina Aegyptia. CAP. IX.

AEgyptus & persicã arborẽ sui generis habet, simile piro, folia retinentẽ. Fertilitas assidua ei, subnascente crastino fructu. Maturitas etestiarum afflatu. Pomum longius piro, inclusum amygdalæ putamine & corio, colore herbido: sed ubi nux illi, huic pomum, differens breuitate ac mollitie: & quamuis blandiatur prædulcis suauitas, innocuum.

Materies bonitate, firmitudine, nigritia quoque nihil differens à loto. Simulacra ex ea factitauerunt, non eadem gratia quàm fideli materie, ut ex arbore quam balanum appellauimus, magna ex parte cõtort. Naualis itaq; tantum est. At è diuerso cucini in magno honore palma similis: quando & eius folijs utuntur ad textilia. Differt quòd in brachia ramorum spargitur. Pomum magnitudo quæ manum impleat, color fuluus, commendabilis succo ex austero dulci. Lignum intus grandis firmæque duritia, ex quo velares detornant anulos. In eo nucleus dulcis, dum recens est. Siccatus durefcit ad infinitum, ut mandi non possit, nisi pluribus diebus maceratus. Materies crispioris elegantie, & ob id Persis gratissima. Nec minus spina celebratur in eadem gente duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat, ob id utilissima nauium costis. Candida facile putrescit. Aculeus spinarum & in folijs. Semen in siliquis, quo coria perficiuntur gallice uice. Flos & coronis incundus, & medicamentis utilis. Manat & gummi ex ea. Sed præcipua utilitas quòd cæsa anno tertio resurgit. Circa Thebas hæc, ubi & quercus, & persica, & oliua, ccc. à Nilo stadijs syluestri tractu, & suis fontibus riguo.

De pruno & arboribus circa Mèphin. CAP. X.

Ibi & prunus Aegyptia, nõ dissimilis spina proxime dicta, pomum mespili, maturefcens bruma, nec folia dimittens. Lignu in pomum grande, sed corpus ipsum natura copiaq; messiu instar incolis. Purgatum enim tundunt, seruantq; eius offas. Syluestris fuit & circa Memphim regio tam uastis arboribus, ut termini nequiret uel circumplecti, unius peculiari miraculo, nec pomu propter usum alique, sed euentu. Facies enim spinæ folia habet ceu pennas, quæ tactis ab homine ramis cadunt protinus, ac postea renascuntur.

De gummi generibus, & papyro. CAP. XI.

Gummi optimu esse ex Aegypto spina cõuenit, guermiculatu, colore glauco, puru sine cortice, dentibus adherens. Pretiu eius in libras x.ii. Deterius ex amygdalis amaris & cerafo, pessimu ex prunis. Fluit & ex uitibus, infantiu ulceribus aptissimum: & aliquando ex olea dentiu dolori: ulmo etiã in Corico monte Cilicie: ac iunipero, ad nihil utile: ex ulmi uero gummi & culices ibi nascuntur. Fit & ex sarcocolla (ita uocatur arbor) gummi utilissimu pictoribus ac medicis, simile pollini thuris: & ideo candidum quàm ruffum melius. Pretium eius quod supra. Nondum palustria attigimus, nec frutices amnium. Prius tamen quàm digrediamur ab Aegypto & papyri natura dicetur, cū charta usu maxime humanitas uita constet & memoria. Et hanc Alexãdri magni uictoria repertam, autor est M. Varro, condita in Aegypto Alexãdria. Ante nõ fuisse chartarũ usum, in palmarum folijs primo scriptitatũ: deinde quarundam arborum libris. Postea publica monumenta plumbeis uoluminibus, mox & priuata linteis confici cœpta, aut ceris. Pugillarum enim usum fuisse etiam

p

etiam